nium electorū in purgatorio remanſuros/qui multa purgatiōe
indigebūt. ¶ Sed finalit̄ hic q̄ri pōt vtrum purgatorij pena ſit
volūtaria. Rn̄det̄ q̄ pena purgatorij dicit̄ volūtaria nō abſolu
te ſ꜄ ꝯditionate/qm̄ alit̄ ſaluari nō valēt. quēadmodū eger vult i/
cidi aut vri. vn̄ b[m] Alexan. de ales/ ⁊ idē tāgit Bonauen̄ ſup q̄r
tum ſentē. Pena dicit̄ volūtaria tribus mōis. primo qꝛ a volū
tate imperāte aſſumit̄/ ⁊ talis eſt penitētialis pena. Secūdo qꝛ
a volūtate acceptāte eq̄nimit̄ tollerat̄/ vt eſt martyrū pena/que
intm̄ placuit eis vt ab eis erui noluerunt. Tercio quia a volūta/
te tollerante ſuffertur/ſicut dū cupiens ſanitatē infirmat̄/ſuſti/
net quidē infirmitatē tanq̄ penā diuinitus inflictā/ ⁊ tamen ab
ea liberari ꝓcurat. ⁊ talis eſt purgatorij pena. Taliſqꝫ pena mi/
nus habet de ratione voluntatis q̄ predicte. Ideo dulciſſime
fili dixit ſenex/qꝛ ſicut de⁹ nobiſcū viuētib⁹ miſericorditer agit:
ſic tēpore gratie poſtpoſito poſt vitā p̄ntem acri⁹ penā debitaꝫ
exiget. vulgariter fertur q̄ extra vincula facilior ſit compoſitio.
Propter huius pene acerbitatem euitandā/ ⁊ mortis inopina
tam horam ſollicite expectandam/diſpone domi tue quia mori
eris tu ⁊ non viues.:.

¶ Cella Decimanona.

IN hac decimanona cella declarare reſtat de
quarto latere precedentis celle/ ⁊ animarū q̄r
to receptaculo. ſ. damnatorū ꝓfundiſſimo pu/
teo/vbi miſerabiles vlulatus audiebant̄ ⁊ te[r]
ribilia tormenta apparebāt. ideo iuxta inſtru/
ctoris diſcipuli documentū/ſciendū q̄ bene profundiſſimus pu
teus conſpiciebat̄/quia damnatoruꝫ locus in inferiori parte ter
re eſt. Nam pſ̄ loquens de peccatoribus ait. Intrabunt in in/
feriora terre. glō. in infernū. Inſuper Iohānes Apocal̄. v. lo/
quens de miſterijs dei occultis/ait. Nemo poterat aperire li/
brum ⁊ ſoluere ſignacula eius/neqꝫ in celo neqꝫ in terra/neqꝫ ſb
tus terrā. glō. i. demones in inferno exiſtentes. Preterea con/
gruit vt ſub t̄ra ſit/rōne affectus/vt qui hic terrena coluerunt/ꝑ
petue in terra claudant̄. pſ̄. Adheſit in terra vent̄ noſter. Cir/
ca ergo hunc horribiliſſimū puteū aliqua ſunt notanda.

Scꝫ de
- Loci miſerabilitate
- penarum diuerſitate
- barum diuturnitate
- incolarum qualitate.

¶ Circa primū igiť ſciendū ꝙ triplex eſt huiꝰ loci miſerabilis ꝯditio. Nam locus eſt inquietus/intemperatus/deſolatus. De primo Apocal'.xiiij.nō hñt inquit Johannes requiē die ac nocte/qui adorauerūt beſtiā.i. dyabolū Ex defectu refectōis.habūdātia ꝯfuſiōis.vehemētia ꝯtritiōis. De hijs tribꝰ yſa.lxv. Pro eo ꝙ vocaui ⁊ non rñdiſtis/locutꝰ ſuꝫ ⁊ nō audiſtis/⁊ faciebatis malū in ocul' meis/⁊ q̄ nolui elegiſtis.ſ.falſā ſanctitatis apparentiā Ecce hui mei letabunť/⁊ vos ꝯfundemini.hui mei laudabunť ⁊ vos p̄ dolore clamabitis/⁊ p̄ ꝯtritiōe ſpūs vlulabitis. Magna eſt ibi intēperātia/qꝛ oēs pene ibi ſūt in ſūmo.qꝛ iux̄ Job xxiiij. Ad nimiuꝫ calorē trāſibūt ab aq̇s niuiū. Ibi em̄ acutiſſimū ⁊ vehemētiſſimū frigꝰ eſt/qȯ vicioſos mag̃ aut minꝰ ſ'm eoꝝ demeritum torquet. Specialiť hoc quoqꝫ frigore cruciant̃ accidioſi ⁊ pigri/qui tarditatis ſue corpore a diuino retrahunť obſequio/iō ꝯſtringunť iehēnali algore.indicibiliť tremūt/⁊ dētibus grauiſſime ſtridēt Vñ in euāgelio Mathei xxij. Ibi erit fletus ⁊ ſtridor dentiuꝫ Ab h frigore ad acerbiſſimū ignē ducent̃/ ſine hoc ſcdm Thomam in q̄rto.ꝙ ſit in eis aliqȯ refrigeriū. Et qꝛ eoruꝫ paſſio ab exterioribus non erit ꝑ ſpēs ſenſibiles/eo mō quo hic: ſꝫ ꝑ actiones ſpūales imꝓmētes formas leſiuas/vñ ſequiť etiā ſicut in febricitātibꝰ ſtridor dentiū. Et hoc frigus ſ'm Alber.intꝰ ⁊ extra dānatos ꝓſequiť. De acerbitate ignis infra diceť Ecce locꝰ intemperatus. ¶ De deſolatiōe yſaye xxxiiij. Pctōr deſolabiť in ſcl'a ſcl'orum.quia teſte pš. Deſideriū pctō ꝝ ꝑibit. Locꝰ deſolatꝰ qꝛ locus luce ꝓuatus eſt. Locus deſolatus eo ꝙ lux maxime diligibilis. Hinc eſt vt p̄allegatū eſt.qꝛ Mathei xxij.dr/ligatis manibꝰ ⁊ pedibꝰ ꝓijcite ipm in tenebras extiores. Pro quo ſciēdū ꝙ ſ'm yſidorū ignis iehēne hꝫ lucem ad aliq̇d/⁊ ad aliquid nō habꝫ. Jō iux̄ Thōe ſentētiā/diſpoſitio infirmi erit talis/vt maxime miſerie dānatorum ꝯpetat.vñ ſ'm hoc ſunt ibi lux ⁊ tenebre/prout maxime ſpectat ad miſeriā damnatoruꝫ. Ipſa autē viſio ſcdm ſe eſt delectabilis.vt diciť ſecūdo methaphiſice

Senſus oculorũ eſt maxime diligibilis eo ꝙ ꝑ ipſuz plura cog-
ſcimus. Sed per accidẽs ꝯtingit viſionẽ eſſe afflictiuã/inquan/
tum videbimꝰ aliqua nobis nociua/vel volũtati nrẽ repugnan-
tia. ꝛ ita in inferno locꝰ debet eẽ diſpoſitꝰ ad vidẽdũ/ ſm̃ lucẽ ꝛ
tenebras/ꝙ nichil ibi perſpicue videaṫ/ſed ſolũ ſub quadaz vm
broſitate vidãṫ illa q̃ afflictionẽ cordi ingerere pñt. Vñ ſimpli-
citer loquẽdo locꝰ eſt tenebroſus / ſed tñ ex diuina diſpoſitione
eſt ibi aliquid luminis quantũ ſufficit ad vidẽdũ illa q̃ animaz
torquere pñt. Ad hoc facit naturalis ſitꝰ loci/qꝛ vt dictũ eſt in t̃
re medio/vbi infernꝰ poniṫ non poteſt eẽ ignis/niſi feculẽtus et
turbidus/ꝛ quaſi fumoſus. Unde circa hoc notat dñs Bona-
uẽtura/ꝙ ignis eſt in triplici differẽtia. Eſt enim ignis purꝰ/ et
eſt in propria materia. ꝛ ignis incorporatus/vt eſt in materia ali
ena/vel in terrea/vel in aerea. Et eſt ignis non tm̃ incorporatꝰ ſʒ
etiã permixtus/vt ignis ſulfureꝰ vel fumoſus. ¶ Primus eſt lux
ꝛ pure lucet/ꝛ habũdanṫ. Secũdꝰ eſt ignis carbo ꝛ flãma. hic
aũt lucet/ꝛ tenebras expellit. Tercius eſt ignis fumoſus/ꝛ talis
ignis eſt tenebroſus/ꝛ iſte eſt infernalis. De hoc loco loquitur
Bernardꝰ ſer. de nego. O regio dura ꝛ grauis/regio extimeſcẽ
da/regio fugiẽda/terra obliuionis/t̃ra afflictionis/t̃ra miſerie ꝛ
in qua nullus ordo ſed ſempit̃nus horror inhabitat. Totus tre
mo atqꝫ horreo ad meõriam iſtiꝰ regionis/ꝛ ꝯcuſſa ſunt omnia
oſſa mea. ¶ Quãtum ad ſecundũ principale ſciendũ ſcꝫ de pe-
narum diuerſitate loquiṫ Job ij. Panis iniqui in vtero eiꝰ v̄-
tetur in fel aſpidũ/ſuget ledet euz lingua vipere/ꝛ õnis dolor ir/
ruet in eũ. vadẽt ꝛ venient ſuper eũ horribiles oĩs tenebre eiꝰ
abſcõdite ſunt in occultis eius/vorabitqꝫ eũ ignis qui non ſuccẽ
ditur. Quẽadmodũ enim in eodẽ peccato mor[illegible] ſũt multe di
uerſe deformitates atqꝫ ꝯditiones culpã aggrauãtes/ymmo in
omni pctõ mortali eſt quedã magnitudo ꝛ irreuerẽtia dei/negli
gentia/excecatio cordis/pigricia/accidia mẽtis/ſtulticia/ inobe
dientia/peruerſitas/reprobus amor/ꝛ cõplacẽtia vana: Sic ei-
dem pctõ diuerſe ac varie pene infernales debenṫ ꝛ infligũtur
Itẽ ſicut idẽ pctõr diuerſa exercet mortalia: ſic ꝛ diuerſis ꝛ va-
rijs torqueṫ infernalibꝰ penis/quarũ quaſdã ſuſtinet ſucceſſiue

ſcʒ ignē ⁊ frigus/aliquas vero ſimul/vt ignis caloreʒ/moleſtiſſi/
mumqʒ fetorē/demonū quoqʒ aſpcūs/⁊ ſitim/tenebrarūqʒ hor/
rores/deſperationes/meſtiſſimā preſſurā/⁊ anguſtiā mētis do/
loroſiſſimā/ſed ꝯpenā damni cunctis ſupplicijs grauiorē. In ō
ni em̄ pctō mortali duo cōſiderant̄.vnū eſt auerſio mētis a ſum
mo incōmutabili bono/⁊ huic auerſioni corrn̄dʒ atqʒ infligitur
pena dāni/videlicet diuine viſiōis carētia. Aliud eſt inordina-
ta cōuerſio mētis ad bonū creatū/caducū/⁊ vanū. ⁊ huic inique
ꝯuerſioni corrn̄det pena ſenſus/ſed pena dāni fugibiliorē ꝙ̄ pe
na ſenſus. Ideo ait Criſoſt. Sūt quidā inſipiētes q̇ ſibi ſuffi/
cere arbitrant̄/ſi ſenſibilibus inferni ſupplicijs eruant̄. Ego āt
ōni pena grauiꝰ reor a vultu dei repelli/ac felici eiꝰ fruitiōe ꝑua
ri. De hoc idē. Excludi a bonis etn̄is/⁊ alienuʒ effici ab hijs q̄
deus p̄parauit diligētibꝰ ſe/tā grauē generat cruciatū/ vt ꝙ̄uis
exteriꝰ nulla flāma torqueret: hoc ſolū ſufficeret/⁊ mille eēt flā-
mas meliꝰ tollerare/ꝙ̄ manſuetiſſimā faciē iratam conſpicere/
atqʒ ab ea ineternū recedere. Cum itaqʒ numerus penaruʒ ſit
infinitus/iuxta illud Deutro.xxxij. Cōgregabo ſuꝑ eos mala
⁊ ſagittas meas complebo in eis. vbi loquit̄ ꝯtra trāſgreſſores
mādatorū Idcirco de tribus tm̄ erit ꝓpoſitū noſtrū

Scʒ de —
Igne inextinguibili
verme immortali
Fletu miſerabili

De duobꝰ p̄mis Augustinus in de ciui.dei In penis inq̄t maloꝝ ſunt inextinguibilis ignis/⁊ viuaciſſimus vermis. De 3º. Ma
thei xxij. Ibi erit fletꝰ ⁊ ſtridor dentiū. Circa primā ignis pe
nam ſciendū/ꝙ ſicut dicit̄ Deutro.xxxij. Ignis ſuccēſus eſt in
furore meo.i.a principio mūdi.primo ꝯtra demones/⁊ ardebit
vſqʒ ad inferni nouiſſima/deuorabitqʒ t̄ram.i.t̄renos/cū germi
ne ſuo/⁊ fundamēta montiū.i.ſuperborū ꝯburet. Hic ignis ſm̄
Alber.ſuꝑ prouerb.vlt.vret interiꝰ animā/⁊ exterius corpus.
Hic inſuper miro ⁊ ineffabili mō eſt eſtuās/penetratiuus/⁊ af
flictiuꝰ/qui ⁊ ſolo aſpcū vltra ꝙ̄ dici q̄at t̄ribilis eſt/⁊ deformis/
fetulentꝰ/immūdus/ac fetidus/grauiſſimi ⁊ intollerabil' caloris.
Hic ꝙ̄uis ſcōm doctores ſit eiuſdem ſpeciei cū noſtro igne: ta-
men habet proprietates multū differentes a noſtro. Tū3 quia

ſuccenſione non indiget: nec lignis nutrit̃. Tum quia deus eſt
regit. Vñ yſaye iij. Flatus dñi ſicut torrens ſulfureus/ ſuccen‑
dens eum. i. a deo eſt accenſus/ qui naturã eius inſtituit. nõ ab
homine. Huius ignis acerbitas per reuelationes fidedignas
⁊ per mirabiles quoſdã effectus/ interdũ nam quidã defuncti
penis purgatorij deputati/ ad oſtẽdendũ vehemẽtiſſimũ ignis
calorẽ quo torquebant̃/ ſintillaꝫ ſui incẽdij ſtillare fecerũt ſuper
manũ aut aliud mẽbrum qua in inſtãti perforatũ fuit. Nõne v‑
nus triũ virorũ in obitu Iheronimi reſuſcitatorũ/ dixit Cyril
lo tantã vim eſſe infernalis incẽdij: ꝙ hõ eã expertꝰ mallet vſqꝫ
ad finẽ mũdi iacere in igne ex vniuerſis mũdi ignibꝰ cõgregato
ꝙ̃ vno die iacere in illo igne tartareo. Fuit enim tribilis fornax
de quo Dañ. iij. quam Nabugodonoſor iuſſit fieri pro tribus
iuuenibus anania azaria miſaele/ ſepties plus ſolito ſuccẽſa. na‑
pta. ſtuppa. ⁊ pice. ⁊c. intm̃ ꝙ flãma ex fornace erũpens diffun‑
debat̃ ſuper fornacẽ cubitis quadragintanouẽ. Ecce ꝙ̃ terribi
lis incẽſus. quis pro opibus huius mũdi vellet talẽ fornaceꝫ in‑
gredi? Ergo igit̃ ſtolidum eſt propt̃ breuẽ ⁊ citiſſime labilẽ bono
rem/ ac trenum valorem/ ſe et̃nis ignibus exponere. ¶ Secun
do de verme immortali. yſaye lxvj. Ignis eorũ non extinguet̃
⁊ vermis eorũ non moriet̃. Hic vermis interior conſciẽtie Nã
Augꝰ ſup p̃dicto v̾bo xxj. li. de ciui. dei plures expoſitores re‑
citans: concludit. In penis inquit malorũ inextinguibil' ignis
⁊ immaniſſimus vermis. quod eſſe probabilius videtur. vnde
ſcõm Tho. vbi s̃. diſ. vl. ⁊ Bonauẽ. Ipſa trãſlatio doloris ad
vermẽ ſpũalẽ: manifeſtat in quibꝰ ⁊ quõ ſit v̾mis ſi attendat̃ rõ
transferẽdi. In verme enim naturali ꝯſiderat̃ origo ex putrefa
ctione: ⁊ mordet illud ex quo orit̃. Sic in ſpũali dolore nõ qui‑
libet dolor eſt vermis. ſ; qui naſcit̃ ex putrefactiõe peccati Sic
tũc pctm̃ dicit̃ putriduꝫ/ qñ aiã in eo requieſcit finalit̃. Rurſus
oportet ꝙ ſit in dolore remorſio: hoc ãt ex cõcurſu duorũ ſibi in
uicẽ obuiantiũ ⁊ reſiſtentiũ. Iſta duo mouentia ſunt in homi‑
ne volũtas naturalis ⁊ deliberatiua. Iſta cõcurrũt p ꝯſcientiã
dictãtem aliqd̾ factũ eſſe indebituꝫ/ ⁊ tunc obuiant qñ volũtas
naturalis deteſtat̃ indebitum/ ⁊ deliberatiue voluntati placet

Tunc autē reſiſtunt quādo vtraq3 in ſuo actu viget. Ex hijs p3
cur in quibuſdā viuētibus ſit v̄mis ꝯſciētie modic⁹ aut magnus
In dānatis etiā patet ſil'r: ꝙ ibi erit peccati putrefactio ex h
ꝙ peccatū finalit̄ remāſit in aīā eoꝝ. Ibi erit ꝯcurſus ꝓpt̄ pec-
catoꝝ apertiſſimā viſionē/ ibi obuiatio ꝓpt̄ voluntatis delibe-
ratiue obſtinationē perpetuā/ ⁊ ſynderesis remurmurationē3.
Ibi erit reſiſtētia/ q2 ipſa delectatio peccati erit ablata ꝑ pene
acerbitatē. ⁊ ex hoc ipſius ſynderesis fortificata actio/ ⁊ ex h ver-
mis mirabilit̄ rodēs ⁊ puniēs ſcđm Bonauen̄. Eſt āt quintu-
plex vermis ſcđm doct. primus eſt de pctō ꝯmiſſo/ non q2 pecca-
tum ſed q2 cauſa demeritoria/ reſpectu pene dāni. Secund⁹ v̄-
mis ſcđm Sco. eſt triſticia de obſtinatione ſui in pctō/ que eſt ꝓ-
uatio boni honeſti ſiue gr̄e. Non āt triſtat̄ de hoc vel de h ſecū-
dum ſe/ q2 talis eſt priuatio boni moralis: ſed q2 demeritum re-
ſpectu pene dāni. Tercius v̄mis eſt ſcđm Alber. ſup miſſa3/ de
bono a ſeipſo obmiſſo/ quod ſi feciſſet minora mala ſuſtineret.
Et ſcđm Alber. ibidem/ hij tres vermes nunꝙ̄ ꝑpetue creſcēt
aut decreſcēt/ q2 ſunt de preterito ⁊ de neceſſario. Quart⁹ ver-
mis eſt ſcđm eūdem de malo cui⁹ ipſe potuit eē cauſa vt fieret in
alio/ ⁊ ille vermis creſcet ⁊ mitigabit̄. Si enim per malū ſuum
cauſa eſt mali in alio/ totiēs creſcit v̄mis quotiēs creſcit ⁊ dilata-
tur malū illud in alios quos inuoluit. Et in hoc ſenſu dic' Am-
broſius ꝙ adhuc ignorat̄ pena Arrij/ q2 neſcit̄ quot errore ei⁹
ſint ſubuertēdi. Si aūt cauſa fuit vt bonū fieret/ totiēs decreſcit
vermis quotiēs bonū illud multiplicabit̄. hec Albert⁹. Quin-
tus vermis ſcđm Tho. vbi ſ. eſt corporal' quodāmō. Pōt eti-
am inquit dici ꝙ per vermē ſpūalem caro affligit̄/ ſ'm ꝙ paſſiōes
aīē redundāt in corpus/ ⁊ hic erit in futuro. Vn̄ Eccī vij. vindi-
cta carnis impij ignis ⁊ vermis. ¶ Tercio de fletu mirabili di-
cunt ſācti ꝙ ibi erit non quātum ad reſolutionē lacrimarū/ q2 ceſ-
ſabit ōnis motus corporalis/ ⁊ per ꝯſequēs generatio/ ſ3 hn̄ ibi
erit quātum ad turbationē corporis/ ⁊ oculoꝝ. Turbabunt̄ e-
nim horrore terribili/ hec triſticia eſt magna / quia nichil eſt qd̄
mitiget eā. Triſticia em̄ ſcđm phm x. ethicoꝝ aliqn̄ mitigatur
quādo amicus ꝯdolet amico/ cui⁹ duplicē aſſerit rōnem. Pri-

mo ad triſticiã pertinet aggrauare. Idcirco cum videt triſtes
alios de ſua triſticia contriſtatos/fit eidez quedam ymaginatio
ꝙ alij velint eius onus alleuiare. Alia ratio. cum percipit ami-
cos contriſtari experitur ab eis ſe amari/ qđ eſt delectabile Sz
hoc ibi non eſt. Nam Gregorius de diuite epulone ait. Qꝛ iu-
ſti tanta rectitudine cõſtringuntur/ita ꝙ ad reprobos nulla in e
is poterit eſſe compaſſio/intellige voluntate deliberatiua. quia
naturali voluntate vellent ſi poſſent ſuos adiuuare. Nam Lu-
ce xvj. ſcribitur Magnũ chaos eſt inter nos ⁊ vos ꝛc. Sequi-
tur/vt hij qui volunt hinc tranſire non poſſint. volunt inquã vo
luntate naturali/ſed non poſſunt. qꝛ voluntate deliberatiua ha
bent ſe conformare diuine iuſticie. Unde Gregorius vbi ſup̄.
Iuſti ad reprobos tranſire non poſſunt/quia erecti iam per iu
ſticiam/iudicij eius nullo modo ex aliqua cõpaſſione miſerenť.
¶ Nunc tercio dicendũ eſt aliquid de penarum diuturnitate/
quam oſtendit fidei firmitas/volũtas interminabilis / ⁊ amiſſa
caritas. In inferno enim nulla erit redẽptio. Videreť forte a-
licui iſtud incõueniens eſſe ⁊ iniuſtũ/vt cum culpa fuerit tempo
ralis ⁊ ad tempus/pena pro eis datur eternalis. De fidei firmi
tate Aug⁹ in de fide ad petruz caplõ xxv. ait. Firmiſſime tene
dyabolum ⁊ angelos eius in eternũ ignem a xp̄o mittẽdos/vbi
nunꝙ̄ pena carebunt/quam eis preparauit diuina iuſticia. Cũ
ipſo etiam impios ⁊ iniquos homines/de quib⁹ ſcriptura dicit
imitantur eum qui ſunt ex parte eius. Pro eo ꝙ eum in malis
operibus imitati ſunt/⁊ ante finem preſentis vite congruã peni
tentiam non egerunt. reſumptis corporibus ſupplicio et̃ne com
buſtionis arſuros. De ſecũdo peccator quantũ in ſe fuit pecca-
uit voluntate perpetua/nam ſemper voluiſſet viuere/vt ſemper
potuiſſet peccare. Qꝛ autem peccator peccatũ dimiſerit quãtuz
ad actũ/hoc fuit ex parte dei qui per mortez ſubtraxit ſibi facul
tatem. ⁊ ideo iuſtũ eſt vt puniať pena eterna. iuxta illud Ite in
ignem eternũ Mathei xxv. Hanc rationẽ aſſerit Gregorius
q̄rto dyalogorũ dicẽs. voluiſſent iniqui ſine fine viuere / vt poſ-
ſent ſine fine peccare. Quod oſtendunt/quia dum viuũt pecca
re non deſinunt ꝛc. De tercio ſcz caritate amiſſa/ſcias ꝙ caritas

amiſſa non poteſt poſt hanc vitam recuperari. per omne autez peccatum mortale amittitur caritas/que eſt vinculū vniens ōnes ciues celeſtes in illa glorioſa ciuitate/quo amiſſo redditur indignus conſortio ciuitatis dei. Huic rationi concordant v̄ba beati Auguſtini. Factus eſt malo dignus eterno/qui hoc in ſe peremit bonū quod eſſe poſſet eternū. ¶ Quarto principalit̄ reſtat hoc loco de qualitate incolarū aliquid perſtringere. Ubi ſciendum q miſeriā dānatorū augmentāt primo delectationū recordatio. Nam Boetius ait. Infeliciſſimū infortunij gen⁹ eſt fuiſſe felicē. Hinc Luce xvj. Fili recordare qr recepiſti bona in vita tua. Super quo Gregori⁹ Ad penā nāqz ſuam ei ꝯgrue ſeruatur ⁊ meōria delectationuz. Et hui⁹ pōt eſſe rō Omne illud qd ad triſticiā ptinet erit ibi. ſ cognitio ⁊ recordatio delectationum amiſſarū ⁊ pctōꝝ ꝯmiſſoꝝ ⁊ p̄uaricatōes pfectiōis quam poterāt adipiſci cauſāt tſticiā. igit̄. Scdo mortis affectio ex voluntate deliberatiua pcedēs eſt ibi. vn̄ Apoca. ix. In dieb⁹ illis q̄rent hōies mori/⁊ fugiet mors ab eis. Sic etiā deſiderāt mortem inquātū eſt ablatiua pene. Nā talit̄ habet rōnez boni. nec mirū videat̄ alicui/cū ad vitādū miſeriā hui⁹ mūdi mors cadat ſub appetitu. iuxta illud Ecci xlj. O mors q̄ꝫ bonū eſt iudiciuz tuum hōi indigēti/⁊ qui minorat̄ viribus. Et Boeti⁹ pmo metro primi de ꝯſola. phie Mors hominū felix q̄ ſe nec dulcib⁹ annis Inſerit/⁊ meſtis ſepe vocata venit. Igit̄ multomag̃ ſb appetitu cadit dānatoꝝ/cū eoꝝ miſeria oēm excedat miſeriā hui⁹ mūdi. Tercio dānatorū accumulatio. Tāta eſt malicia eoꝝ q̄ꝫ nis ſciāt penā augeri ex multitudine/eligūt tn̄ mag̃ cū multitorqueri q̄ꝫ cū vno ſolo/eo q dolēt de ōnib⁹ bonis. Et iō quedam glō ſup yſa. dicentē c. xiiij. Surrexerūt de ſolijs/ait. ſolaciuz eſt miſerorū ſocios habere penaꝝ. Nec obſtat q diues rogabat p fratribus ſuis. quia licet omnibus inuideāt: tamen minus ppinquis/quia maior eſſet eorū pena Et ita diues eſtimans nō oēs debere dānari: petijt fratres non dānari. maluiſſet tamē eos cū omnib⁹ dānari. Quarto omnis ſpei ſemotio. Job xv. loquēs de dānato ait. non credit q reuerti poſſet de tenebris ad lucem Et rō huius eſt. ſicut ad perfectā beatitudinē requirit̄ certitu-

do de perpetuitate eiuſdē/alioquin volūtas non quietaret̄. ita
de ratione damnati eius eſt ꝑpetuitas/⁊ hāc oportet ſciri ab eis
vt habeant plenitudinē pene. Quinto diuini nōis blaſphema-
tio. Deteſtabunt̄ enim diuinā bonitatē. qꝛ peruerſa₃ hn̄t volū-
tatem a dei iuſticia/diligētes ea pro quib⁹ puniunt̄/deſiderātes
eis vti ſi poſſent. Et qꝛ nō ſperāt ſe poſſe euadere penas: deſpe
rati ferunt̄ ad qd̓ peruerſa volūtas ſuggerit. Hinc Apoca. xvj
Eſtuauerūt hōies eſtu magno/⁊ blaſphemauerūt nomē domi
ni hn̄tis ꝑtātem ſuꝑ has plagas. glō. in inferno poſiti/ q̄uis ſci-
ant ſe merito puniri. dolebūt tn̄ ꝙ de⁹ tātā potētiā hēant ſuꝑ e-
os. Pctōres igit̄ q̇ nec v̓bis nec ſuauis gaudij ām̄onitōib⁹/nec
internis aſpiratiōib⁹/neq₃ q̇buſuis dei aut ꝓximi flagell' aut cor-
reptionib⁹ mollificari pn̄t. Cōuertant̄ pedib⁹ meditationum.
iux̄ pſalmiſtā ix. In infernū q̇ obliuiſcūt̄ deū/vt inde ad pecca-
ti odiū ꝓuocent̄. Vn̄ Ber. ſmōe de negociatōib⁹ Viuēs in in
fernū deſcēde. ꝑcurre mētalib⁹ oculis tormētoꝝ officinas. fuge
ſcelera ⁊ vicia ꝓ quibus ſcelerati hōies ⁊ vicioſi perierunt. Ha
be odiū peccati. dilige legē dn̄i. ⁊ in tā feris doloſis nūdinis fac
ſarcinā tuā odiū peccati. De quo Rōnos xij. odiētes malum.
Cū eīn deus ſcdm̄ ſuā iuſticiā poſt hanc vitam peccatorib⁹ hūc
horribilē reſuat locū/ad quē euadendū ꝯſulendu₃ eſt iux̄ ꝓphe
ſententiā/vt diſponant domui ſue/qꝛ morientur ⁊ non viuēt.

Cella Viceſima.

Poſt animarū receptaculorum tenuē ex ſancto
rum dictis declarationē/diſcipulus vlteri⁹ an
helans/petijt an ne interdū viuētes ex aliquo
diuino preuilegio videant animas in hijs rece
ptaculis detētas. ⁊ an ne p̄ter hunc ordinem
ex ſpeciali dei diſpenſatione receptacula in h°
mūdo ꝯcedant̄. Pro horū dubiorū ſolutione in xx. cellā intro/
ducit̄. In cuius primo latere beata virgo Moyſes/ ⁊ Paul⁹
vſq₃ ad diuine eſſentie viſione₃/⁊ gloriā beatorū eleuati videbā
tur. Inferiuſq₃ Petr⁹ Johānes ⁊ Jacob⁹ xp̄m lympidiſſi-
me fulgentem in terris cōſpiciebant. In ſecūdo latere apparu
it pute⁹ ſiue purgatoriū ſācti pat̄icij in hybnia. In 3° latē q̇dam